

Der nachstehende Text ist in angemessenes Deutsch zu übersetzen!

Seneca beschreibt das Göttliche im Menschen und in der Natur:

Seneca Lucilio suo salutem

Facis rem optimam et tibi salutarem, si, ut scribis, perseveras ire ad bonam mentem, quam stultum est optare, cum possis a te inpetrare. Non sunt ad caelum elevandae manus nec exorandus aedituus¹, ut nos ad aurem simulacri, quasi magis exaudiri possimus, admittat: prope est a te deus, tecum est, intus est. Ita dico, Lucili: sacer intra nos spiritus sedet, malorum bonorumque nostrorum observator et custos; hic prout a nobis tractatus est, ita nos ipse tractat. Bonus vero vir sine deo nemo est: an potest aliquis supra fortunam nisi ab illo adiutus exsurgere? Ille dat consilia magnifica et erecta. In unoquoque virorum bonorum (quis deus incertum est) habitat deus.

Si tibi occurrerit vetustis arboribus et solitam altitudinem egressis frequens locus et conspectum caeli densitate ramorum aliorum alios protegentium summovens, illa proceritas² silvae et secretum loci et admiratio umbrae in aperto³ tam densae atque continuae fidem tibi numinis faciet. Si quis specus saxis penitus exesis montem suspenderit⁴, non manu factus, sed naturalibus causis in tantam laxitatem⁵ excavatus, animum tuum quadam religionis suspicione percutiet. Magnorum fluminum capita veneramur; subita ex abdito vasti amnis eruptio aras habet; coluntur aquarum calentium fontes, et stagna quaedam vel opacitas vel immensa altitudo sacravit.

Si hominem videris interritum periculis, intactum cupiditatibus, inter adversa felicem, in mediis tempestatibus placidum, ex superiore loco homines videntem, ex aequo deos, non subbit te veneratio eius? Non dices, 'ista res maior est altiorque quam ut credi similis huic in quo est corpusculo possit?' Vis isto divina descendit.

1 aedituus – Tempelhüter **2** proceritas – hoher Wuchs **3** in aperto – hier: am helllichten Tag

4 suspendere – hier: schweben lassen, tragen **5** laxitas – Geräumigkeit, Weite, Hohlraum

**Bei der Fertigung
der Reinschrift der Übersetzung
für Korrekturzwecke jede zweite Zeile freilassen!**